



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando alia animantia conspiciamus. Exercit. 56

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

Oblatio.

Offeremus nos Deo, vt extollat nos & secum ducat, atque in alis suis ferat, agnoscendo nos debiles, & implumes, nec à nobismetipsis volare valentes.

Quando alia animantia conspiciuntur.

Exercit. 56.

Psalm. 148. Bestia, & vniuersa pecora, laudent nomen Domini.

Psalm. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.

Psalm. 31. Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus.

Esai. 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.

Consideratio.

PRæter considerationes, quæ de vnoquoque animali specialiter formari possunt iuxta ipsius naturam & proprietates: generaliter consideramus,

ff 3

bimus,

bimus etiam post peccatum, nobis omnia quodammodo seruire, ne illis quidem quæ inutilia & venenosa esse videntur, exceptis. Considerabimus etiam spiritum sanctum nos mittere ad formicam; vt ab ea instruamur otium ac desidiam vitare. Et Christum nos monere vt à serpentibus prudentiam discamus.

Gratiarum actio.

GRatias referemus Deo: quod nobis animalia ad vsum & alimentum concesserit, quodque nos illis excellentiores creauerit rationem & intelligentiam nobis conferendo, nosq; quoad animam immortales & aternæ beatitudinis capaces creādo.

Confusio.

PVdore suffundemur: Quod in tanto honore à Deo collocati, illum non agnouerimus, sed irrationabilibus animantibus viliores nos redderimus per peccatum: Deo non obtemperando, atq; contra eum, qui nos sustentat & pascit, insurgendo.

Petitio.

Roga-

Rogabimus Deum, vt nobis det gratiam agnoscendi dignitatem nostram, & iuxta illam viuendi.

Oblatio.

Offeremus nos tanquam iumenta diuinae maiestati vt nos ducat quo cunque ipsi colhibitam fuerit, sine vlla ex parte nostra resistentia.

Quando auium cantum aut aliam musicam audimus.

Exercit. 57.

Psalm. 67. Iubilate Deo omnis terra cantate & exultate & psallite.

Ibidem. Psallite Domino in cythara & voce psalmi, in tubis ductilib. & voce tubae cornea.

Apoc. 14. Audiuu vocem de caelo sicut cytharatorum cytharizantium in cytharis suis, & cantabant quasi canticum nouum.

Psalm. 136. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena.

Consideratio.

Considerabimus cantum illum & musicam suauissimam Angelorum in caelis, qui coelestem Hierosolymam implent laetitia.

Gratiarum actio.